Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 765
Quelle:
Copyright:

faciat non habet. — Conſulit marſupium ſi forte preces illius admitti ualeant — et ſine mora exauditur marſupium. Gaudet ad uocem eius ſacerdos. — Quid hoc? quem punis? quid peccauit marſupium quod exhauris &c. In fine aliquid deeſſe videtur; ultima enim ſunt: *Plenus uenter facile de ieiuniis tractat.* Rurſus ſubſcripta litera R. Multum congruit *Sermo* hic cum quibusdam ejusdem argumenti *Petri Bleſenſis*, quin tamen in ejus Operibus invenerim.

VI. *fol.* 70. Tractatus *mythologicus* absque Autoris nomine, cujus *Praefatio* incipit: *Fabula eſt cuius libet rei ficte narratio. dicitur autem fabula a fando. fabularum uero alię delectationis tantum. alie exortationis. alię utriusque cauſa ſunt ficte. ſed illud totum fabularum genus quod ſolas aurium profitetur delitias a philoſophie tractatu ſemotum in nutricum cunas. i. puerilia poetarum rudimenta eliminatur* &c. Multum congruit *Praefatio* haec cum ea, quam *Fulgentii Planciadis Fabulis* praefixam in *Cod. Lovanienſi* teſte *Revio* in *Hiſtoria Daventr.* p. 141. reperit *Jac. Faber Daventrienſ.* refertque *Th. Munckerus* in *Praef. ad Fulgentium* ante *Auctores Mythographos lat. Lugd. Bat.* et *Amſt.* 1742. 4. concluditurque: *Nos autem penultime fabularum diuiſionis illam ſpeculandam ſpeciem propoſuimus, quam non iam fabulam ſed fabuloſam narrationem nominari deſcripſimus. huius tamen ſpeciei non ſingulas ſed quasdam celebriores utique ſecundum yſidorum remigium fulgentium Martianum* (Capellam) *atque macrobium pro ingenioli noſtri capacitate deſtinauimus aperire. Prius autem unde idolorum uanitas mentibus paganorum irrepſerit per yſtoriam quam refert fulgentius demonſtrabimus.* Itaque et a *Diophanto Lacedemonum auctore* narrationem auſpicatur, quae deſinit *in Vulcano et Minerva* iis ipſis verbis, quibus *Fulgentius* L. II. edit. *cit.* p. 690. utitur: *aut obliuioni. ſicut de Ceſare dictum eſt* (Cic. Orat. pro Ligar.) *qui obliuiſci nichil amplius ſolet quam iniurias.* Unde mancum videtur Opus, cujus Autorem non deprehendi.

VII. *fol.* 94. *Incipit liber antiquitatis flauii ioſephi Hyſtoriographi.* Initium: *In principio creauit deus celum et terram. Sed dum terra ad aſpectum non ueniret* &c. Excerpta ſunt juxta tradutionem, quae ab aliis *Rufino Aquilej.* ab aliis *Epiphanio Scholaſtico*, ab aliis cuidam e *Caſſiodori* amicis tribuitur, et cum L. XVIII. *cap.* 9. abrumpuntur, occurrente paullo ante finem celebri illo loco *de Chriſto.*

CCXXXV. VI. E. 27.

Codex membraneus lat. Sec. 315 X. Folior. nunc 45. f. probe ſcriptus, et, quantus reſtat, optime ſervatus Fragmenta III. continet. I. eſt ex *Auguſtini Libro de diverſis Quaeſtionibus* LXXXIII. qui in Edit. *Maur. Pariſ.* 1685. legitur T. VI. *col.* 1. Incipit a verbis